



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Modus Recte Se Disponendi Ad Felicem Mortem

Poiré, François

Coloniae, 1651

Dispositio II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55160)

tentio. artes inconcessæ in obeundis negotijs parua cura dissoluendi es alienum & alia quæ nobis incumbunt, onera expediendi, familiaritates periculosa, abusus sacramentorum & quæ sunt aliæ huiusmodi prauæ assuetudines, quæ menti Deum eripiunt, magnasque tenebras & periculo plenam obstinationem inducunt. Quarta est, fuga otij, quæ, utpote mater omnium scelerum, hominem vnde quaque reddit inutilem, & incertum, adeo affectum ad exercitium bonorum operum exturbat, quæ sola, ut sanctus Petrus ait, a certam faciunt salutem. & Vocationem nostram.

a 2. Petri 1. b. 10.

DISPOSITIO II.

Secunda est, (& ex priori consequitur) bonas consuetudines superinducere. Modica illa experientia, quâ sum eruditus, in eam me cogitationem adegit, ut credam, nostrum plerosque eo mentis habitu ac assuetudine mori, cui in viuis assueuimus. Qui antè toelentiam non addidit, tunc cum æger decumbit, querelis omnia complebit, habebitq; quod in quouis ob-

sequio damnet. Is qui pietati prius non
 affluerit, in illo articulo nullis eam indi-
 cijs proderit. Qui est opibus & fortunis af-
 fixus, nec alium sermonem, nec cogita-
 tionem, nisi de ijs patienter admittet.
 Contrarium omnino homini pietatis an-
 te hac studioso accidit? & eius, qui sem-
 per patientiæ, aut diuinæ voluntatis, cui
 se ex toto permisit, tenax fuit, virtus tunc
 potissimum elucebit. Cuius rei causa
 est, quòd in his angustijs natura vt pluri-
 mum deficiat, neque vires illi suppetant
 ad aliud agendum, quàm cuius longum
 vsum iam habet. Hinc est, quòd pluri-
 mum inter sit, dum vales, laudatas con-
 suetudines adsciscere, imprimis verò tri-
 rerum. Prima est, vt sæpe Deum tibi præ-
 sentem teque Deo sistas, Internique vir-
 tutum actibus identidem studeas, imprimis
 verò, Fidei, Spei, Caritatis, Contriti-
 onis, Pietatis, beneficiorum recordatio-
 nis, ac submissionis. Secunda, vt de manu
 Dei in te profecta promiscuè acceptes, &
 in omnibus, quæ ab eo circa te fiunt, ac-
 quiescas. Tertia, vt sæpè tibi ipsi vim in-
 feras, siue in ijs rebus, quæ sensibus, siue
 quæ voluntati bellum mouent. Hæc tria
 capita

capita sunt, quorum frequens vsus mihi videtur illo tempore cum primis esse necessarius.

Per multum etiam conferet, sæpe considerare, & minutim expendere, quæ in illâ fatali horâ nobis erunt agenda. Nam defectu huius cogitationis, multi hærent in incerto; ignari, quò se vertant, aut quo ordine negotium hoc suscipiant, in quo tanta res agitur, quanta est æternitatem adire.

DISPOSITIO III.

Tertia eos contingit, qui vitæ huius commodis ac bonis fruuntur; in quorum potestate est, ea: cui velint posterorum ac hæredem, transcribere, Crediderim, neminem è prudentium virorum numero fore, qui nõ aliquâ ratione ultimam suam voluntatem consignârit, ita, ut possit adhuc, quæ velit addere, demerere, prout occasionem causamque, quidpiam immutandi, negotia suadebunt. Vt ita suadeam, faciunt humanarum rerum incerti euentus, quotidiani casus, quâ illos ipsos occupant, quos vulgò pro sapientibus habemus: ij ita à morte opp-